



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

720. An teneat, & firma sit resignatio facta post spolium, ubi Resignans pepegisset cum Spoliatore, se non acturum possessorio ad versu spolium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

huc dicitur resignatio libera & spontanea, etiam si Procurator resignavit post spoliationem; cum facta per eum resignatio trahatur ad diem mandati, quando non aderat spoliatus, & consequenter nec vis, nec metus. Paris. n. 38. & ex eo Azor. Adde, quod, ut ibidem, dum constituitur Procurator ad resignandum, Principalis videatur beneficium resignandum habere pro derelicto, juxta dictum Abb. in cir. c. sollicitè. nu. 11. quemadmodum quis constituens Procuratorem ad adeundam hereditatem, eo ipso censetur hereditas adita ex illa animi declaratione. Paris. n. 39. juxta l. Paulus per Procurat. ff. de acquir. hered. & Cujatium l. 1. observat. juris c. 34.

*Questio 719. An valida sit & firma resignatio facta post longum tempus à spoliatione, Resignante nihil de spoliatione conquesto?*

**R**espondeo affirmativè; Cessat enim tunc præsumptio violentiæ continuatæ; quia dum nemo præsumatur velle jactare suum, si resignans metu fuisset inductus, de eo conquereretur. Castrop. Azor. ll. cir. Paris. nu. 41. & 42. citans Butrio in c. sollicitè. Menoch. ubi antè. nu. 278. Limitat tamen responsum Paris. à n. 43. si facta fuerit resignatio in favorem tertii, qui non spoliavit, & si de omni casu constet, quod resignans non fuerit conquestus, quia durabat eadem causa metus; durante enim eadè causâ metus voluntas semper dicitur meticulosa. l. 2. c. quod metus causâ. Ac ideo poterit petere talis resignans restitutionem, quando poterit, ut Paris. n. 45. Et resignans post spoliium, qui non fuit admittus, admittendus erit ad probandum, id se non fecisse, quia timebat, vel vis inferebatur, aut mina. Paris. n. 47. in fine. Argumento c. sollicitè. Quod autem Trid. c. 19. sess. 25. de regular. statuit, ut elapso quinquennio non possit præterens per vim & metum se ingressum religionem, reclamare, etiam si toto illo quinquennio duraverit eadem causa vis & metus, ut censuit S. Cong. Concil. 21. Aug. 1572. dum Concilium quasi præsumptione quadam vult, ut post quinquennium nemo audiat. Id inquam speciale dicit. Paris. n. 46. non trahendum ad præsentem casum. De cetero Castrop. annum statuit, post quem facta resignatio sit firma.

*Questio 720. An teneat, & firma sit resignatio facta post spoliium, ubi resignans pepigisset cum spoliatore, se non acturum possessorio adversus spoliium?*

**R**espondeo: Esse firmam, & talem non esse restituendum, Paris. cir. q. 5. num. 48. citans Menoch. ubi suprâ remed. 1. n. 261. Card. Paris. conf. 1. n. 151. vol. 1. Abb. in c. sollicitè. de restit. spol. n. 16. Rebuff. & c. potest enim spoliatus cedere actione spolii, Paris. n. 49. juncto n. 84. & 85. (ubi: notanda conclusio communiter recepta, quod actio spolii competens super beneficio potest cedi in favorem alicujus, & ideo potest quis promittere per pactum se non acturum spolio) Azor. loc. cir. cum communi DD. in c. sollicitè. & hoc modo, nempe paciscendo, ut dictum, ei ceditur. Paris. ibidem. Validum autem & firmum est tale pactum, non secus ac firmum est pactum post furtum, ne furti agatur, & ne ablatum restituatur. l. si unus. §. pactam. ff. de pactis, sicut & pactum de non molestando possessorem, ut Menoch. loc. cir. n. 283. Adeo

que & resignatio facta post tale pactum est firma. Paris. n. 50. & 51.

2. Proceduntque hæc à fortiore, si interpositum quoque juramentum; licet enim resignatio etiam cum juramento facta post spoliationem non impediat restitutionem, juramentum tamen præstitum postea de non agendo, impedit, ne possit intentari remedium restitutionis. Paris. nu. 52. citans Abb. in c. sollicitè. in fine. Menoch. ubi antè. n. 287. & 295. Card. Paris. loc. cir. & c. juramentum enim, ut dictum suprâ, debet servari, ubi potest sine interitu salutis æternæ, c. cum contingat, de jure jur. c. quamvis, de pactis in 6. Paris. num. 53. citans D. Tho. 2. 2. q. 89. a. 7. Covar. in cir. c. quamvis. p. 1. §. 6. n. 6. Alciat. in cir. c. cum contingat & c. Unde & patet differentia inter resignatorem, pactum, & juramentum facta post spoliationem; resignatio enim spectat jus proprietatis, & non possessionis. Pactum de non agendo possessorio, vel non molestando concernit ipsam possessionem. Paris. cir. n. 53. ex Abb. in c. sollicitè. Neque obstat cir. c. sollicitè, dum à pari procedere censet resignationem, & juramentum facta post spoliationem ad effectum, ut tam hoc, quàm illa dicatur facta ex metu; nam licet præsumatur metus, ut dicitur cir. c. purgatur tamen ille per verba apponi solita à Notariis de stylo in instrumento, in quo dicitur sponte jurasse, nullo metu & c. Paris. n. 54. citans Abb. Butr. & Imol. & alios passim in cir. c. sollicitè. Card. Paris. conf. 5. n. 187. vol. 4. & c. cum hujusmodi præsumptio resultans ex verbis instrumenti tollat aliam præsumptionem legis, juxta l. nam ita divus ff. de restit. in integ. c. literis, de præsump. Paris. n. 55. & hoc, etiam si dicta clausula passim ex stylo potius, & Notariorum consuetudine apponatur citra partium voluntatem. Paris. n. 56. citans Abb. in c. cum contingat. Ruin. conf. 159. n. 16. l. 3. decium & c. quamvis inter pactum, & juramentum metu extorta & alia accedat differentia maxima, nempe quod juramentum etiam in hoc casu servandum, nisi absolutione remittatur, quod in pacto locum non habet. Paris. n. 57.

3. De cetero pactum illud de non agendo possessorio, seu de non molestando intelligitur tam de molestia juris, quàm facti juxta suam significationem. Paris. n. 58. citans Ruin. conf. 48. n. 9. l. 2. Decium, conf. 581. n. 11. addensque nu. 59. ex Menoch. loc. cir. nu. 285. idem esse de verbo controversia, cum eadem sit significatio verborum molestia & controversia, juxta gl. & Bartol. in l. Lucius. §. tres heredes. ff. de pactis. Quod si tamen hujusmodi pactum fieret ante spoliationem, non valeret, & eo non obstante, si postea fuit spoliatus, erit restituendus. Paris. n. 61. citans Abb. in c. sollicitè. eo quod tale pactum esset contra bonos mores. Paris. n. 62. citans l. si unus. §. pacta. ff. de pactis. Card. Paris. conf. 92. n. 21. vol. 4. Pacta autem, quæ sunt contra bonos mores, sunt nulla ipso facto, juxta gl. in c. ult. de pactis, uti etiam ea, quæ præstant materiam delinquendi (uti esset hoc pactum) l. convenire. ff. de pactis. Paris. n. 63.

*Questio 721. An resignanti post spoliium concedatur restitutio, si resignavit in favorem tertii, à quo spoliatus non fuit?*

**R**espondeo affirmativè, Azor. cir. c. 26. q. 7. Paris. cir. q. 5. n. 69. citans plures pro hoc Rota decisiones, contra Cassad. decis. 4. de restit. spol. Rationem dat n. 70. quod licet talis Resignans ces-

serit